



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1681**

IV. Quis sit proprius sacerdos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14704**

## I V.

*Quis sit proprius Sacerdos.*

**L**. 35. Cod. De Episcopis & Clericis,  
 Ἐκάστη πόλις ἴδιον ἐπίσκοπον ἔχει. *Vna  
 quæque civitas proprium Episcopum habet.*  
 Lex ista refertur à Photio in Nomoca-  
 none tit. VIII. cap. I.

ἴδιος ἐπίσκοπος dicitur etiam canone ter-  
 tio & sexto Concilii Antiocheni. Proprius  
 etiam Episcopus dicitur can. IX. Conci-  
 lii Africani; & canon decimus ejusdem  
 Concilii loquitur de Presbytero qui est à  
 proprio Episcopo condemnatus. Et in  
 Canone XXXI. Apostolor. Εἴ τις πρεσβύ-  
 τερος καταφρονήσας ἴδιου ἐπισκόπου. Cano-  
 ne etiam XV. Apostolorum.

Meminit quoque ἐπισκόπου ἴδιου canon  
 XVI. Concilii Nicæni, & canon VIII.  
 Concilii Chalcedonensis.

Ad istum exemplum dicuntur proprii  
 Presbyteri sive sacerdotes qui in Ecclesiis  
 parrochialibus ordinati sunt; ut in Con-  
 cilio Nannetensi habito anno DCLVIII.  
 dicitur proprius Presbyter qui præest Ec-  
 clesiæ parrochiali. In synodo Romana  
 Gregorii VII. tum Eugenii & Callisti se-  
 cundi decernitur Ecclesias committi de-

berè propriis sacerdotibus, non autem conductitiis. Vnde in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio dicitur proprius sacerdos qui præest Ecclesiæ parochiali.

Illi etiam dicuntur Presbyteri cardinales à Vualtero Aurelianensi Episcopo in capitulis synodalibus ab eo editis anno DCCCLXIX. ut significaret eos vacanti Ecclesiæ præfectos in titulum sive incardinatos; ut de eiusmodi Presbyteris loquitur Hincmarus in suis capitulis Rheimensibus. Quod incardinandi verbum traxit ex epistolis Gregorii I. qui commendatos Episcopos vacantes ad regendam ad tempus quandam Ecclesiam opponit Episcopis incardinatis, id est, episcopatui vacanti in perpetuum regendo mandatis, ac si Ecclesiæ episcopali veluti cardini infixi & inserti essent.

Istud referri potest ad Presbyteros quos diximus cardinales; qui sic addicti sunt Ecclesiis ad quas *ιδιως* ordinati sunt juxta canonem sextum Concilii Chalcedonensis ut ab iis discedere absque Episcopi proprii sententia non possint; ut docet canon xv. apostolicus, Nicæni Concilii canon xvi. Antiocheni can. III. Quamvis Episcopi auctoritate ab una Ecclesia in aliam ejusdem diœceseos pos-

sint transferri, ut monuit loco superiore Hincmarus, & docet apertè Novella Iustiniani, in authenticis, ubi determinatur synodus clericorum.

---

## V.

*De Presbyteris, ubi ordinandi sint.*

**P**RESBYTERI & reliqui clerici ordinandi sunt specialiter in Ecclesia civitatis aut vici, vel in martyrio, aut monasterio, juxta Concilium Chalcedonense. Vnde patet nondum Ecclesias publicas constitutas fuisse in possessionibus seu in villis: quamvis paulò post possessionum domini, qui eas adscriptorum numeroforum opera excolebant, oratoria à se in possessionibus illis exstrui ab Episcopis impetrarint, quorum oratoriorum meminit Iustinianus in Novellis. Illis autem oratoriis nulli adsignabantur speciales clerici. Attamen id fieri posse docet egregius Novellæ locus in authent. *Adscriptitios*. Cod. De Episc. & cler. ubi habetur exceptio ad legem Leonis & Anthemii. Illi enim constituerant in l. *Tubernus*. 36. ejusd. tit. ne adscriptitii ordinari possent clerici, nisi dominorum possessionum, unde oriundi sunt, evidens con-